

Atheus possit vitam externam honestatis ac probitatis speciem habentem & civiliter bonam agere? quod tantum abest ut temerè negaturus quispiam sit, ut exempla potius eorum non desint, quemadmodum, ut aliorum non fiat mentio, Spinozæ, quo pejorem Orbis Atheum vix tulit, *SEB. KORTHOLTUS* *Præfat. Parentis CHRIST. KORTHOLTI Lib. de tribus Impostor. magis præmissâ*, vivendi rationem, testium oculatorum ex estimonio, ita describit, ut dogmatum ipsius ignarus hominem virtutibus deditissimum juraret: Quorsum & referendus Atheus, cujus sibi familiarius noti, *SPENERUS* in *der Ubereinstimm. mit der N. C. Art. Prelim. 1. Th. VII. §. 8.* mentionem injecit; At quæstio est, an Atheus quâ talis vi Atheismi vitæ probitati studeat, an alias ob causas moventes, extra Atheismum quæ sunt, utpote formidinem poenæ, gloriæ cupiditatem & affectatam honestatis famam lucrum & commodum externum speratum, aut ejus amittendi metum, à malo & cupiditatum suarum impletione abstineat? Seu, quod eodem redit, non quæritur de Atheo materialiter, sed formaliter spectato. Fieri namque potest, ut quis, DEum etiamsi negans, bonitate tamen naturæ connatâ recti regulam in agendo sequatur, quandoquidem intelligit, id ipsum vel totius humani generis vel societatis civilis, cujus ipse membrum est, in bonum cessurum esse. Imo concedendum est, nonnunquam in Atheis notitiam DEi naturaliter insitam, invitis licet illis, sese exserere, cum eandem nemo penitùs eradicare valeat, ut ἀναπολόγητοι sint, *Rom 1. 20.* & conscientiæ supremum Numen reveritiæ dictamen malitiam ejus refrænare, vel compellere ad quid boni rationem habens agendum. Quâ de re rectissimè *SECKENDORFIUS* l. c. p. 623. scribit: Der mensch, der sich ohne scheu für einen Atheisten ausgiebet, und doch recht thut, und sich in menschlicher gesellschaft wohl verhält, der ist nicht so arg, als er seyn wil; denn eben das gute, so er thut, kommt zugleich aus einer innerlichen erkänntniß einer verbindung und schuldigkeit her, welche in effectu von Gott durch das göttliche natürliche licht gewircket wird, ob es gleich der thörichte freche mensch nicht also erken-

erken-